



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,
Bibliothecis, et aliunde**

Sweerts, Pierre François

Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.

Andegavensia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

*Ist' hic nunc fera turba iace. nos libera cali
 Pignora sperato iam iam potiemur Olympo.
 Tu modò, nate Deo, rerum pia victima, IESV,
 Aspice nos, qui cuncta animas spes vnica: mortem
 Exue morte nouâ, atq; nouâ vita indue vitam.*

M. ANT. MVRETVS IN IVL. CAES.
 SCALIGERVM.

*Eminus aetherij collucens luminis aura,
 Quae radios toto disicis orbe tuos,
 Certa q; cognati retinens commercia cali,
 Tunc etiam cum te deprimis astra vides:
 Haec tibi pauca tui mirator maximus offert
 Carmina, at indoctâ non bene ducta manu.
 Si liceat, tibi templa simul positurus, & aras:
 Vsque adeo numen suspicit ille tuum.
 At tibi pro templo calum est humus ara: nec ipse
 Iam renuit, quin sit victima sacra tibi.*



ANDEGAVENSIA,

IN MAVRICII,

IOAN. OLIVARI EPISCOPI ANDEGAVEN.

IANVS Olivarius iaceo hic sub marmore duro,
 Istius adis er am praesul & immeritus.
 Peccavi fateor (quis enim offendisse negabit?)
 Ast venia in Christo spes mihi firma fuit.
 Qui nostrum gratis absterfit morte reatum,
 Et nos non nostris iustificat meritis.
 Hanc spem vos fratres precibus votisq; iuuate,
 Manibus vt nostris pax sit & alta quies.

Ac mortis memores bene viuite, & vsq; valet,
Sicq; eadem vobis post obitum requies.

IBIDEM.

Mortuus ecce licet iaceam, viuo tamen, & te
Hospes nil super hac morte timere velim.
Ipse abij, haud obij, nec mors hac veraputanda est;
Parte ego cum viuam nunc meliore mei.
Mors oculos tantum premit, & sopor occupat artus,
Purius ac melius mens animusq; vigent.
Membra operit tellus, ea donec Christus ab alto
Excitet: hac spes est, quae pia corda fouet.
Hanc precor hospes habe: hac discas contemnere le-
Et melius vitæ noxia quæq; feres. (thum,

ALIVD, QVOD IPSE EPISCOPVS
de seipso paulò ante mortem
scripsit,

Inquiris hospes qui sim? non sum amplius.
Quid agam? putresco, & vermium greges alo.
Qui fuerim? ineptus IANVS OLIVARIVS,
Peccator vnus omnium præmaximus.
Vnde? vrbe natus nobili in Lutetia.
Quo functus olim munere in republica?
Primum Archiabbas Andium: post Pontifex.
Quæ otia? sacratas paginas euoluere.
Quid hac in vrna superat? ossa & cinis.
At quod animus? hospes contine, scire hoc nefas,
Arcana Diuum non decet scrutarier,
Neu quid negoti sit Ioui cum manibus;
Satis superq; nosse erit fidelium

Post

Post fata mentes non mori: at quiescere,
 Donet resurgant in priore corpore,
 Augustiore quàm antea, felicius
 Victura in auium cum beatis omnibus.
 Iam nosti abundè qui fuerint, at altissimis
 Quando in tenebris nequeo te agnoscere;
 Saltem hospes vnum hoc tete vt agnoscas, rogo:
 Optesq; veram mortuis pacem omnibus.

ALIUD EIVSDEM.

Pedem viator siste, specta paululum.
 Hac alta moles, quam vides, non tollitur
 Surgitve in auras mortui huius gratia.
 Cuius cadauer iam solutum in puluerem,
 Penitusq; ad esum vermibus, non indiget
 Tot arte sculptis lapidum acervis obrui,
 Cui deesse tellus ne utiquam poterat leuis.
 Sed nec sopore in tam profundo sensuum
 Pictis Chimeris aut notis inanibus
 Afficitur, vt vos vitam adhuc qui viuitis,
 Et quantum ad umbras luce cassas attinet,
 Tumuli leuis iactura, & vrna qui caret,
 Caelo Ioue q; melius tegitur, vt dictitant.
 Hic totus ergo tragicus ornatus tibi,
 Viator, positus est, & ob causam tuam,
 Oculos videlicet huc vt obuertas tuos,
 Et has Sophorum perlegas sententias.
 Quis subeat animo, temet esse obnoxium,
 Fato, atq; vitæ tadeat miserrime:
 Qua nec horulam quidem obtineat vnquam satis.
 Tantam ac quietam mortis ab insultibus.

ss s

Qua.

Quaecunq; spectas scilicet, eò maxime
 Spectant, vt hæc memoria mortis te instruat,
 Omnia caduca & fluxa, quæ ceu maxima
 Stupidi, leues, & inscij tam maxime
 Mirantur homines; more magnanimi Herculis,
 Vt monstra torua perdomare, ac fortiter
 Calcare, flocci, nauici, nihili pendere,
 Vitamq; puram heroicamq; ducere,
 Et quæ ad supremam illam & perennem gloriam
 Iugiter anhelet; quam Deus sperantibus
 In separauit, vt optimus sic maximus:
 Collige viator, si hæc sapis, quid didiceris,
 Oculisq; quantum debeas hodie tuis.
 I iam, precare manibus pacem, & vale.

HVIC PVLCHERRIMO SEPVLCHRO,
 QVÆ SEQVVTVR SENTENTIAE
 imaginibus heroum illorum subscri-
 ptæ, adiunctæ leguntur:

MOYSES.

Puluis es, & in puluerem reuerteris.

PRIAMVS,

Fuimus Troës: fuit Ilium.

ARISTOTELES.

Vita malis plena est, post mortem vera vo-
luptas.

ORATOR.

Qui mortem metuit, Philosophus non est: quip-
pe aliam nescit vitam.

HORATIVS.

Debemur morti nos, nostraque.

OVIDIUS.

Morte carent animæ.

CICERO.

Nemo lugendam cenſet mortem, quam immortalitas ſequitur.

PAVLVS.

Bonam vitam mors bona commendat.

DIOGENES.

Omnium rerum viciffitudo.

AESCHINES.

Peius eſt morte, te mori, ſpe mortis.

CATO.

Spem retine : ſpēs vna hominem nec morte relinquit.

IVDAS MACHAB.

Sancta & ſalutaris eſt cogitatio, pro defunctis exorare.

SENECA.

Nemo tam diuos habuit fauentes, craftinum ve poſſet ſibi polliceri.

SOLON.

Ante obitum nemo felix.

PLATO.

Tota vita ſapientis, mortis eſt meditatio.

HIOB.

Homo quaſi flos egreditur & conteritur.

PERSIVS.

Viue memor lethi : fugit hora.

IUVENALIS.

Mors ſola fatetur, quanta hominum ſint corpufcula.

VIRGILIUS.

Vbique luctus, vbiq̄ue pauor, & plurima mortis imago.

MVSÆVS.

MUSAEVUS.

Mortuus in portu est; at nos iactamur in undis.

EVRIPIDES.

O quàm miserum est nescire mori!

TRISMEGISTVS.

Boni mortem, vt bonorum omnium maximum,
optant.

DAVID.

Quis est homo & non videbit mortem?

PTOLOMAEVUS.

Nemo mortem hilaris excipit, nisi qui se ad eam
diu composuerit.

ORPHEVS.

Conciliat Diuos Pietas, & tartara vincit.

BOETIVS.

Mors hominum felix.

HOMERVS.

Mors optanda viris: requies ea certa laborum.

PINDARVS.

Quid est vllus? quid nullus? vmbrae somnium
homo.

HESIODVS.

Corpus humum, coelos mens, spiritus appetit
auras.

PAVLVS.

Mihi viuere Christus est: & mori lucrum.

IDEM.

Cupio dissolui, & esse cum Christo.

 IN OPPIDVLO COLLEVRE APVD
BITVRIGES.
FRIDERICVS RANZOVIVS Holsatus, patre
natus

natus nobilissimo & amplissimo viro, HENRICO
RANZOVIO, serenissimi Daniæ Regis Confilia-
rio, & in Holsatio Legato, Domino hæreditario in
Bredenberg & Drakenburg, &c.

Patris nempè fortissimi genuinâ virtute filius,
Familiaæ columen, patriæ lumen,
Equitum sub Comite Basson pierro Magister,
Dum secunda Christianissimo Regi Galliarum
stipendia meret, & fugatis hostibus, rariori
comitatu, castris longius abscedit,
Naturæ debitum latronum sceleri persolvit,
Et mortalis corporis mortales exuvias cum stola
cœlesti commutavit;
Eas per magistratum horum locorum honorificè
collectas,

Et postea à nobilissimo viro Andrea Plessio co-
gnato cognitatas,

Mœrentes amici huic tumulo mandauère.

Patriâ procul, patre procul,

Procul sepulchris paternis.

An hoc ille infelicior?

Non est, non est, viator.

Cur?

Fortibus & p̄is omne solum,

Vt patria est, ita sepulchrum.

Et hoc si didicisti

Viator; abi.

AVINIONENSIA.

IN PALATIO PAPAE.

CLEMENS V. Pontif. absens electus an-
no CIO.